



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 6. Bulæ exemplum egestate ad rapinas adacti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

malunt maleficio, quàm officio parare diuitias.

Et Philosophus existimat fieri non posse, ut indigens operetur bona. Certè alibi ait: *Impossibile est, indigentem bene principari, & studio vacare.* Saltem hoc incommodi habet pauper, quòd non possit egentibus subuenire, neque exercere liberalitatem, quæ apud inopes nimis paruo centro & spatio est circumscripta.

§. VI.

Bula exemplum egestate ad rapinas adacti.

Atque, ut vnum alterumue exemplum, afferam, in quo apparet, quid in vitijs possit paupertas, de iuris violatione, ita pronunciat D. Ambrosius: *Sicut diuitia negligentiam pariunt salutis; ita egestas dum saturari querit, à iustitia declinat.* Si enim ex ossis, ut in prouerbio est, suum ipse rodit pedem, quantò auidiùs inuadet alienum? Quare, ut inopiam mutaret in abundantiam, testis Xiphilino, Bulas cœpit, infestissimis armis, per Italiam grassari, factusque est, sub Seuero Imperatore, famosissimus latro. Si quidem comparatâ sexcentorum sicariorum manu, per totum biennium, maximas prædas fecit. Hic cum Centurionem vitæ suæ insidiatorem cepisset, raso eum capite ad

Aristot.
l. 1. Ethic.
Idem l. 2.
Politicor.

S. Ambr.
in epist.
S. Pauli.

Xiphilino
in vita
Seueri.

Seuero

Seuerum Imperatorem remisit, cumque interrogaretur, quid Imperatori vellet nunciari? *Iube*, inquit, *dominos tuos ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur*. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsareanos, partim exigua mercede, partim nullo certo stipendio conductos, qui se numquam ad latrocinandum contulissent, si Cæsar debito stipendio persoluto, eos ipse aluisset. Itaque quos stipendij spes fecerat milites, illos salario subducto inopia fecit latrones. Quales hodieque multi non solum proscripti, verum etiam ob alimenti penuriam profugi inveniuntur; qui malunt sub latronum duce stipendijs expleri; quam ibi milites ærarij esse, vbi neque æs, neque argentum; neque commeatus vllus habetur. Quamobrem idem Bulas, cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium fecisset? respondit: *Et tu dic, cur Præfectus sis? Erat nimirum Papinianus homo pradiues, & magna apud Cæsarem estimationis, ac propter opum suarum splendorem in aulam admissus, Bulas verò penuria rerumque egestate vexatus, latrocinio victum querere cogebatur. Quare sicut canes fame ad rabiem adigun-*

adigun-

adiguntur ; ita homines inopia sic facit ef-
feratos, vt obuios quosque, spolij caussa,
quantumuis innocentes inuadant.

§. VII.

Paupertas ærumnarum caussa.

Ærumnas ex inopia natas quis non de-
plorauit? Ieremias, cùm lamentari vellet,
dicebat: *Ego vir videns paupertatem meam:*
itemque: *Recordare paupertatis & transgres-*
sionis meæ, absynthij & fellis. Et regum sapi-
entissimus: *Omnes dies pauperis mali.* Inno-
centij verba sunt: *O miserabilis conditio men-*
dicantis! si petit, pudore confunditur: si non
petit, egestate consumitur: & vt mendicet, ne-
cessitate compellitur. Deum caussatur iniquus,
quòd non rectè diuidit; proximus criminatur
malignus, quòd non plenè subueniat, indigna-
tur, murmurat, imprecatur: Vnde Salomon:
Melius est mori, quàm indigere. Et, si profa-
nas audire voces libet, ait ille:

Omnibus modis, qui pauperes sunt homi-
nes, miseri viuunt.

Præsertim quibus nec quaestus est, nec di-
dicere artem vllam.

Et alius: *Heu me miserum, perij malè perdi-*
tus, pessimè ornatus eo.

Tantum gemitu, & mala molestia hic dies
michi obtulit, famem

Thren. 3.
1. lb. v. 19.
Prou. 15.
15.
Innoc.
de vilitate
condit.
humanæ.

Plaut. in
Rud.

Apud
eundem
Euclio in
Aulularia.